



Svmma Juris Canonici

Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

Sive Antinomia Ivris Pontificii Et Cæsarei - per CCL. Differentias plurium
Doctorum auctoritate probatas, singulari studio in certas classes reducta,
discussa, & explicata

Strein, Johann

Coloniæ Agrippinæ, 1658

XCVI. Iure Canonico mulier etiam nobilis per se lactare filios suos debet,
nec potest alteri mulieri lacta[n]dos committere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61864)

Iure Canonico mulier etiam nobilis per se lactare filios suos debet, nec potest alteri mulieri lactandos committere. *c. ad eius. Dist. 5.* at Iure civili permittitur mulieri nobili, & ubi talis consuetudo est. *Bald. in l. aliena. C. de neg. gest. Ioan. Bapt. à S. Blasio 64.*

I. Consilium, an præceptum in *c. ad eius.* fit, textus indicabit. Prava, inquit, in coniugatorum moribus consuetudo surrexit, ut mulieres filios, quos gignunt, nutrire contemnunt, eosque alijs mulieribus ad nutriendum tradant; quod videlicet ex solâ causâ incontinentiæ videtur inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare, quos contemnunt. Quod autem, ipse nutritrice debeat, multæ rationes suadent. Filij enim cum alieno lacte alienos mores, & inclinationes hauriunt, sæpe numero peruersos & improbos, adeoque parentibus dissimiles evadunt. Naturæ ductum attendant matres, quæ, ut *Macrobius* observavit *l. 1. Saturnal. c. 11.* in ipso partu lactis copiam suggerit, quo fœtus alatur. *Gell. l. 12. noct. articular. c. 1.* ait, esse contra naturam imperfectum atque dimidiatum genus peperisse, & statim à se abiecisse. Non enim mammarum ubera quasi quosdam nauulos venustiores atque ornandi pectoris causâ, sed alendorum liberorum causâ natura dedit. *Ira Gentiles illi.* Vnde meminit *S. Gregorius* pravam consuetudinem

vocatillarum matrum quæ liberos suos alijs nutriendos tradunt.

II. Nihilominus in multis iustæ causæ, exculant, cuiusmodi esse potest corporis imbecillitas, morbus, inopia lactis, & simil. adde consuetudinem, quæ multis in locis obtinuit, ut legum iustitiam videatur permissio, & argui de peccato non debeat quæ liberorum curam alijs relinquunt: maxime si puras, sobrias & piæ nutritrices eligant. Summatim *Navar. c. 14. n. 17.* nolle filium proprijs uberibus lactare sine causâ iustâ non est amplius, quam veniale, & cum eâ nec veniale. Vide, quàm nihil, aut parùm dissonent leges, & canones. *V. Az. 11. l. 2. c. 4. Surdum De alim. n. 8. priuil. 56. Tiraquel. De nobil. c. 20. n. 78. Erasmi Colloq. Eurapoli & Fabulla. Barb. in c. ad eius. Dist. 5.*

* *

*